

stentauit, tàmque humilem se submisit, vt cùm Mediolani esset, die, quo cœna nostri Saluatoris celebratur, ipsa pauperibus pedes manu sua lauit, vestimentaque liberaliter distribuit. Virum Romam secuta est. Sed Genuam veniens, mortua in æde fratrum minorum sepulta est.



FRIDERICVS Dux Austriæ, cognomine **PVLCHER**, Alberti primi Ducis Austriæ Regis Romanorum, ac Elizabethæ filius, vir elegans, & statura procerus, largus & liberalis, omnibusque pergratus, aliquorum principum suffragiis Rex Rom. electus ac Bohemiæ diademate insignitus est, Ludouico Bauariæ Duce consobriuo suo ab aliis electoribus Imperatore creato. Filiam Regis Arragoniæ Elizabetham in vxorem duxit, ac cum maxima celebritate Basileæ nuptias celebrauit. Postea cum magnis copiis Sueuiam ingressus, Ludouicum ad arma prouocauit, ac pugna facta, dubio Marte vtrinque magna strages edita est. Post aliquot annos in Bauariam veniens, eam totam igne & ferro deuastauit, ac tandem à Ludouico suis opem ferente, cum fratre Henrico prælio victus, & captus est. Cùmque triennio in custodiis maceratus esset, tandem præmissis quibusdam conditionibus iureiurando & literis corroboratis, liberatus, ac in Austriam reductus, cum magna lætitia ab vniuerso populo susceptus est. Nec multò post cùm ob perpeffas aduersitates paulatim tabesceret, dysenteria resolutus, animam exhalauit, anno Salutis **MCCCXXX**.

ISABELLA Reinoldi Comitis Geldriæ filia, Friderico quidem desponsata, sed ob patris prodicionem, eam traducere noluit.

ELIZABETHAM Iacobi Aragonum Regis filiam nobilissimam